

B. 51.

LECTIONES
 TAM
 GRATVITAS,
 QVAM
 NON GRATVITAS,


Divina gratia adnuente,
instante hoc vernali semestri
 habendas,

STVDIOSAE IVENTVTI
offert ac indicit

GEBHARD CHRISTIAN BASTINELLER, D.

HALAE MAGDEB.
Literis STEPHANI ORBANI, Acad. Typogr.





I omnibus, in illustri Fridericiana studiosam iuventutem docentibus, tam beatos esse non liceat, ut eiusdem Professorum, encomio meo longe maiorum, merita & famam adsequantur; nihilominus tamen, si diligentiam & industriam Eorundem omni studio & opera imitentur, confido futurum, ut suo erga Deum & potentissimum Regem officio perfungantur. Quum igitur divina gratia fretus, praeter sex collegia, sub initio praeterentis hiberni semestris studiosae iuventuti oblata atque indicta, septimum adhuc, scilicet examinatorium ad Institutiones Imperatorias, feliciter absolui: hinc nova collegia, instante hoc vernali semestri habenda, ut offeram atque indicam, & sic more aliorum, quod in me est, diligentiam quoque meam tester, rogor, suadeor, praecipior. Quemadmodum vero saepius fieri solet, & quasi continua consuetudine inualuisse videtur, ut in publico programme thema iuris in medium proferatur, & si ob evitandam prolixitatem non plenius deducatur, saltem inducatur, & meditationem iudiciumque proprium de ulteriori disquisitione adhibere cupidis relinquatur: ita *tribus* testimoniis

niis, etenim omne trinum pro perfecto venditatur, sed pro ratione instituti summam duntaxat ostendere nitur, Doctores ex jure *Veteri & Novo* multas conclusiones retinuisse, cuius principia tamen, instar iure *Novissimo* correctorum & mutatorum, reiecerunt.

Primum testimonium communis Doctorum fert opinio, sentientium, fratribus ac fororibus *germanis & consanguineis* legitimam quidem (in casu, si turpis aut leuis notae macula laborans persona iis praelata sit,) deberi; neutiquam vero *uterinis*. Et hanc opinionem utique firmat lex 27. Codicis de inofficioso testamento, ibi enim fratres & sorores *uterini* ab inofficiosi actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arcentur. Vnde facilis & in promptu est communis DD. opinionis probatio, ut &, si maus, ratiocinatio in forma: *quicumque ab inofficiosi actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arcentur, illis non debetur legitima a fratre vel sorore*; atqui *fratres ac sorores uterini &c.* ergo. Verum enim vero opinionem dubiam, imo irritam facit *Novellæ CXII.* Cap. 4. vtpote quod in omnibus successioneibus agnatorum cognatorumque differentiam vacare omnem praecipit. Si vero differentia (sequuntur verba dicti capituli,) *in omni successione, aut hereditate, inter eos, qui defuncto siue per masculi, siue per foeminae personam iungebantur, sublata*; pariter differentiam in successione *fratrum inter consanguineum & uterinum* sublata, atque *uni* aequae ac *alteri* legitimam deberi, videmus: sin etiam differentia (continuantur verba dicti capituli,) *siue per foemineam personam, siue per emancipationem, siue per alium quemlibet modum* prioribus legibus tractabatur, vacare in posterum debeat; simul legem 27. Codicis de inofficioso te-

stamento, quae inter consanguineum & vterinum *ex foemina persona* differentiam statuebat, abrogatam esse, apparet. Obiiciant vero Doctores dissentientes, legem 27. Codicis de inofficioso testamento, testante rubrica, loqui de successione *testamentaria*; & contra Novellam CXIIX. agere de successione *ab intestato*, siquidem citatum Cap. 4. finitur his verbis: *Et omnes sine qualibet huiusmodi differentia secundum proprium cognationis gradum ad cognatorum successorem ab intestato venire praecipimus.* Sed ad hanc objectionem, sicuti legitima est portio portio, ab intestato debitae, & DD. dissentientes, quod *vterini* non minus ac *consanguinei* ab intestato succedant, in concessis ponunt; ita & portionem portionis, ab intestato debitae, (sive legitimam,) *utrisq;* jure Novissimo sine vlla differentia relinquendam esse, revera concedere, & non nisi verbis negare, respondemus, maxime, dum querelae inofficiosi testamenti aliud fundamentum DD. dissentientes, quam in iure hereditario ab intestato, quaerere, haud invenimus. Obiiciant deinde, citatum Cap. 4. inter eos tantum, *quos communiter ad hereditatem vocari Imperator definiivit*, nullam amplius differentiam esse velle; non ergo inter vterinos & consanguineos, quippe *vterini*, nonnisi germanis eorumque liberis deficientibus, ad hereditatem *ab intestato* vocentur, eosque ad hereditatem fratrum *testamentariam* communiter non vocari, definit citata lex 27. Codicis de inoff. testam. Ad hanc autem objectionem regerimus partim, *consanguineos* quoque, nonnisi germanis eorumque liberis deficientibus, ad hereditatem *ab intestato* vocari, & tamen *eis* legitimam deberi, vt adeo haec circumstantia ad continuandam
inter

inter consanguineos & uterinos differentiam nihil momenti adferat, & de cetero successio *aliqualis* & *nulla* successio sint diversa; partim, Imperatorem, dum agnatos in *nulla* successione aut hereditate cognatis potiores esse definivit, ut etiam *uterini* vna cum consanguineis (in casu, si scriptus heres turpis, aut levis notae macula adpersa sit persona, *testamentariam fratrum hereditatem* petere possint, definiisse. Nec legem controversam 27. C. de inoff. testam., de qua iam quaeritur, & cuius auctor est Imperator Constantinus, pro decisione controversae esse allegandam, adiicimus. Obiicit tandem praesudicium *opinionis communis*, ad quod, tutius esse, sequi dissentientes, non quod numero maiores sint, sed quod ratione meliore nitantur, replicamus. Et ultimo notandum, tam *antecedentem* legem 26. Cod. de inoff. testam., quam *subsequentem* legem 28. Cod. eod. *iure Novissimo*, qua mutatam, qua abrogatam esse. Ecquis ergo, ceteris concurrentibus, dubitabit de lege 27. Cod. eod. tanquam *intermedia*, & quomodo supra in favorem dissentientium structum argumentum resolvemus? Illius propositionem majorem ex parte subiecti, inserta clausula: *Et iure novissimo*: limitamus, & sic formatam minorem: atqui fratres ac sorores uterini ab inofficiosi actione *Et iure novissimo* &c. arcentur, negamus.

Alterum testimonium perhibet etiam communis opinio Doctorum, *filium legitime exheredatum in favorem reliquorum quatuor, ut legitima semis sit, connumerandum non esse*, ideo existimantium, quia *quintus* filius legitime exheredatus in lege 10. §. 4. ff. de bon. poss. contr. tabb. & in lege 1. §. 5. ff. de conjung. cum emancip. liber. ej. *pro mortuo* habeatur. Ut vero omittam, in his aliisque legi-

legibus legitime exheredatum non *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*, scilicet *quoad successionem suam*, non *reliquorum fratrum*, pro mortuo haberi, hoc satis est, si paucis excipio, *iure Digestorum* legitimam, vel si decem forte liberi & amplius exstiterint, ubique *quartam* fuisse; nullibi vero ejus mensuram numeri liberorum rationem habuisse, quia demum *iure Novissimo* Imperator Justinianus in Nov. 18. cap. 1. eo respexit, ut legitimam vel *trientem*, si quatuor & pauciores, vel *semissem*, si quinque & plures, constituerit. Quum igitur hæc quæstio de legitime exheredato, an in favorem reliquorum quatuor, ut semis fiat, connumerandus sit, nec ne? *iure Novissimo* tandem nata fuerit: igitur DD. decisionem *negativam* ex *jure Digestorum* minus recte exhaurerunt; sed operam frustra contriverunt. Alias sane mirum, quod Doctores, quæstionem affirmantes, pariter ad *ius Digestorum* confugiant, & *affirmativæ* probationem ex lege 8. §. 8. ff. de inoff. testam. extorquere velint. Qua enim lege non de *legitime exheredato*, de quo status controversiæ formatus erat, sed de *illegitime exheredato*, cui videlicet querela inofficiosi competit, loquente, Eos ignorationem elenchi committere, apertum est.


Tertium & ultimum testimonium esto *tertia*, licet quoque erronea, Doctorum communis opinio, qua fingitur, ac si querela inofficiosi, *injuste exheredato ex inofficioso testamento legatum petente*, cessaret. Nec diffitemur, legem 10. §. 1. l. 12. & l. 23. §. 1. ff. de inoff. testam., quæ citantur, hoc inferre. Verum iterum advertendum, *iure Digestorum* & *Veteri*, si ex causa de inofficioso cognoverit iudex, & pronunciaverit contra testamentum, nec fuerit provocatum, ipso jure testamentum rescissum fuisse, & prorsus nihil ex eo valuisse, nec legata debita, sed soluta repetita

tita fuisse aut ab eo, qui soluit, aut ab eo, qui obtinuit l. 8. §. 16. & l. 28. ff. de inoff. testam. Contra, cum *iure Novissimo* rescisso testamento per querelam inofficiosi, quod minime in dubium vocat communis opinio DD., *omnia* in testamento disposita præter institutionem heredis firma maneat, & Imperator Justinianus *legata* adimpleri, darique illis, quibus fuerint relicta, & tanquam in hoc non rescissum obtinere testamentum, in Novella CXV. cap. 3. in fine specialiter disponat: hinc liquido apparet, filium iniuste exheredatum, qui *legatum* petit, *illud* simul approbasse, vel actioni inofficiosi *tacite* renunciaſſe, amplius censeſſi non poſſe.

Quibus de juris Veteris & Novi (Digestorum & Codicis inquam,) principiorum rejectione, inde tamen emanantium conclusionum non paucarum retentione breviter & quasi in transcurso præmissis: quænam lectiones instante hoc vernali semestri bono cum Deo habendæ sint, & qua methodo eas proponendas animo instituerim, subjungendum restat. Quod igitur primo *lectiones gratuitas* attinet, *textum Institutionum Imperatoriarum* ab hora II. ad IX. explicabo, tum Institutionibus circiter intra quatuor menses finitis, transitum facturus ad *Pandectas*, *jus Feudale*, *processum Civilem & Criminalem*, vsque dum totus cursus juris civilis hac hora, gratuitis lectionibus in posterum destinata, fuerit absolutus. *Textum Institutionum præ Hoppii & Struvii Systematibus* ex convincentibus rationibus, in collegio ipso pluribus declarandis, elegi. *Methodus* vero, qua in tali gratuito collegio pergam, sequens erit. Prævia juris Romani uniuersi accurata *historia*, optimos ejus *Scriptores*, vt & *Commentatores* tam ad omnes juris partes, quam

quam præcipue ad Institutiones fideliter recensebo, addito de singulis aliorum & meo iudicio. Deinde *connexionem* integrarum Institutionum ita compendiosam ostendam, ut quilibet discantium earum summam dicere mox ab initio discere queat. In quo Codex repetitæ prælectionis & Novellæ Institutionibus *derogent*, nec non, ubi mores nostri, Saxonici, Magdeburgici, & alii *recedant*; ea & quæ necessaria explanatio postulat, in calamus dictabo. Ad capacitatem audientium pariter me aptabo, lectiones interdu relatione & decisione casuum gratiores reddi allaboraturus. Sicuti denique *examina* frequentiora maximæ sunt utilitatis: ita vix altero die progrediar, nisi quæ antecedente absoluta, recoluerim, atque ex prompta auditorum responsione, se tum mentem textus docentisque recte intellexisse, cum utriusque veritatem meditatione, domi instituta, examinasse, perspexerim; licentia eapropter auditoribus data, dubia sua proponendi, earumque evolutionem petendi. Verbo, id agam, ut auditores evadis Jurisprudentiæ emergant, ejusque scolopulos prætervehantur, neque tamen præjudicio auctoritatis humanæ se immergi patiantur.

Lectioes non gratuitas quod concernit, hora IX. ad X. collegium *Pandectarum* ad ductum doctrinæ Pandectarum, ab excellentissimo Dn. Ludouici, Professore huius Academiæ dignissimo, ante aliquot annos publici iuris factæ, iterum auspabor. Hora X. ad XI. *ius feudale*, facem Schiltero in introductione ad ius feudale utrumque, Germanicum & longobardicum, præferente, exponam. Hora XI. ad XII. ad examen *iuris publici germanici novissimi* Dn. Iacobi Brunnemanni, commentabor. Hora I. ad II. diebus mercurii & sabbati collegium *Disputatorium* continuabo. Nec unquam eis, qui vel collegium iuris naturæ, vel practicum Elaboratorium, item ad B. Dn. Hoppii examen, siue ad B. Dn. Struuii iurisprudentiam forensam, siue separatim collegium *examinatorium* ad Institutiones, Pandectas, ius Feudale denuo expectunt, deero. Collegium Institutionale Gratuitum die XII. Aprilis inchoabitur. Lectionum vero reliquarum initium die sequenti XIII. Aprilis erit. Deus optata secundet. Dabam in alma Fridericiana d. IX. Aprilis MDCCXII.




Af 364^a


ULB Halle 3
001 602 721



sb.







LECTIONES
TAM
GRATVITAS,
QVAM
NON GRATVITAS,
Divina gratia adnuente,
instante hoc vernali semestri
habendas,
STVDIOSAE IVENTVTI
offert ac indicit
GEBHARD CHRISTIAN BASTINELLER, D.

HALAE MAGDEB.

Literis STEPHANI ORBANI, Acad. Typogr.

